Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



in uitam eternam custodit eam. Siquis michi mini
strat me sequatur. Et ubi ego sum illic et minister meus e
rit. Siquis michi ministrauerit honorificabit eum pater
meus. Nunc anima mea turbata est. et quid dicam? Pater
saluifica me ex hac hora. Sed propterea ueni in hanc horam. Pater
clarifica nomen tuum. Vox ergo uox de celo. Et clarificaui.
et iterum clarificabo. Turba ergo que stabat et audierat.
dicebat tonitruum factum esse. alii dicebant. angelus ei locu
tus est. Respondit eis ihesus et dixit. Non propter me hec uox
uenit. sed propter uos. Nunc iudicium est mundi. nunc princeps
mundi huius eicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra.
omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans
qua morte esset moriturus. Respondit ei turba. Nos audi
uimus ex lege. quia xpus manet in eternum. et quomodo tu dicis
oportet exaltari filium hominis. Quis est iste filius hominis?
Dixit ergo eis ihesus. Adhuc modicum lumen in uobis est. ambulate
dum lucem habetis. ut non tenebre uos comprehendant. Et
qui in tenebris ambulat. nescit quo uadit. Dum lucem
habetis credite in lucem. ut filii lucis sitis. Hec locutus est
ihesus. et abiit. et abscondit se ab eis. Cum autem tanta sig
na fecisset coram eis. non credebant in eum. ut sermo esaye
prophete impleretur quem dixit. Domine. quis credidit auditui
nostro. Et brachium domini cui reuelatum est. Propterea non poterant
credere. quia iterum dixit esayas. Excecauit oculos eorum et
induraui cor eorum. ut non uideant oculis et corde non intel
ligant. et conuertantur et sanem eos. Hec dixit esayas quando ui
dit gloriam eius. et locutus est de eo. Veruntamen et ex princi
pibus multi crediderunt in eum. sed propter phariseos non